

hebraeos deterreat ab apostasia, in eo enim statu nulla hostia eis relinquatur, qua purgentur eorum peccata. Vel (forte melius) hostia, quae reliqua non est peccantibus, est alia hostia par illi, quae immolata fuit in cruce, quae profecto, secus ac hostiae T. V. unica fuit, unaque sui oblatione consummavit in aeternum sanctificatos. Haec scilicet dicuntur ab Apostolo ad commendandam excellentiam sacrificii crucis.

VI. Demonstrata est ergo thesis. An certum assensum in doctrinam hactenus propugnata prohibebit quaedam haud infrequens, quemadmodum adversarii nostri loquuntur, inter veteres scholasticos doctrina, qui, si illos audimus, vim sacramentalis absolutionis ita minuerunt ut ea non nisi iam contritis et iustificatis a Deo possit rite conferri; quo posito potestas quidem remittendi peccata nulla est? Verum de hac doctrina veterum theologorum disputationem reiiciendam censemus eo, ubi de contritione quaestio instituetur. Nunc tantum haec monuisse satis sit. 1° Ex pluribus, qui citantur, Scholasticis (e. g. a Launoio Oper. Tom. I. De mente Concilii Trid. circa contritionem et attrit. in ss. Poenitentiae c. 8.) non paucos perperam prorsus citari. 2° Si qui scholastici dissident a certa doctrina confirmata auctoritate manifesta Scripturarum, ecclesiasticae traditionis ac perpetuae praedicationis et praxis Ecclesiae, ii audiendi non sunt: porro certum est semper creditum esse in Ecclesia quod Poenitentia sit unum ex septem Sacramentis, cuius potissima pars est absolutio a peccatis, et quod sit institutum pro remissione peccatorum, quod et testantur theologi qui contra nos citantur, licet deinde remissionem peccati interpretantes dicant esse vel remissionem poenae, vel authenticam declarationem remissionis culpae: qua in re, si id voluerunt dicere quod verba sonant, id tantum probant quod iam ab aliis observatum est, veteres aliquos Scholasticos in re sacramentaria non admodum profecisse. Ceterum 3° regula illa, quam quidam ex veteribus dicunt generalem theologorum, quaeque a s. Bonaventura in 4.^m D. 18. a. 2. q. 1. sic refertur: « nunquam sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret quod esset absolutus a Deo » commode ita accipi potest, neminem scilicet absolveret sacerdos, quem non praesumeret a Deo excitatum et rite dispositum ope gratiae interioris ad remissionem consequendam. Ii vero theologi qui ad historiam resurrectionis Lazari et munus sacerdotum V. L. in causa leprae provocant exemplo Patrum, illud prae oculis potissimum habent, ut et principalem causalitatem Deo vindicent in remissione peccati, doceantque oportere iam vivere, fide nempe, spe, dolore etc. eum, qui absolvendus est a peccato. Qua de re confer quae dicemus in Th. XII.

Probatum est Christo auctore factam esse Ecclesiae potestatem remittendi quaecumque sint peccata. Porro potestas haec est propria Dei. Ipse enim solus potest condonare offensas sibi illatas, cum sit summus Dominus, ipse solus potest gratiam conferre, et ad amicitiam suam iusque filiationis restituere praevaricatores. Isaiae XLIII, 25. Ego sum, ego sum, ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Rom. III, 24. iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu. Talis ergo potestas Ecclesiae competere nequit nisi delegata a Deo, ut Ecclesia eiusque Pastores tanquam causae ministeriales et instrumentales eam exercent. Hinc ea potestas est exercenda ab Ecclesia iuxta eas leges et condiciones, quas auctor princeps et delegans praescripserit.

THESIS IX.

Universalis Ecclesiae praxis antiqua fuit exercitium potestatis remittendi fidelibus peccata coram Deo, nullo delinquentium vel criminum genere excluso, sive publico sive occulto.

I. Oportet ut doctrinam demonstratam in praeced. Thesi historicis quoque argumentis illustremus, quo fiet praeterea ut traditionem catholicam a nonnullis difficultatibus expediamus. Quia vero in hac thesi frequenter occurret sermo de poenitentia publica, ut quae dictari sumus intelligantur, quandam nunc notitiam eius adumbrare oportet. Itaque distinguendum est inter *poenitentiam canonicam*, *poenitentiam publicam*, *poenitentiam sollemnem*; quae quamvis *materialiter* in idem subinde convenirent, *formaliter* tamen differebant. *Poenitentia canonica* ea erat, quam praescribent certi Canones editi sive in Conciliis, sive ab Episcopis, qui Canones non pro quovis delicto, sed pro gravioribus poenitentiam peragendam statuebant. Distingue porro poenitentiam a poena, haec est ordinata ad punitionem, illa ad emendationem et absolutionem obtinendam, haec manet emendatione etiam secuta, illa non: porro quidam canones erant qui poenam, alii qui poenitentiam determinarent: ii poenales, hi poenitentiales proprie dicuntur. Poenitentia autem iniuncta per Canones non erat omnis et semper publica, sed etiam secreta: unde poenitentia canonica non idem est ac poenitentia publica. Poenitentia publica ea erat, quae coram plebe et Episcopo eiusque clero in Ecclesia agebatur. Haec autem duplex distingui debet, nimirum publica tantum, et publica sollemnis. Ea erat quae tota aut publica accusatione delicti, aut publica aliqua humiliatione, aut utraque simul, vel

longo vel brevi tempore vel etiam brevissimo, qualis fuit poenitentia Theodosii Magni, agebatur. Haec sponte quoque obiri poterat, etsi canones ad eam non adigerent, quare non omnis publica erat canonica. Istam proinde sine publica aliqua manifestatione delicti agere licebat: quare distinguendum est rursus inter confessionem publicam, et poenitentiam simpliciter publicam. Sollemnis autem poenitentia ea erat, quae ex praescripto Ecclesiae et certis ritibus agebatur. Illius ritus, qui est eiectio ab Ecclesia, et certorum ieiuniorum impositio, mentionem faciunt Const. Apost. L. II, c. 16. Praecipua poenitentia sollemnis ea fuit, quae distributa erat in quatuor gradus vel stationes, nempe Fletus, Auditionis, Substrationis, Consistentiae (Lege Petavium de Poenitentia publica etc. contra Arnaldum, L. II; et in Diatriba De Poenitentiae vetere ratione. Natalem Alexandrum. Sec. III. Dissert. 8). Sollemnis poenitentia non nisi propter gravissima crimina (cf. Pacianum in Paraenesi ad Poenitentiam cf. et Nysenum in epist. canonica ad Letoium, in qua miratur crimen avaritiae absque poenae medela praetermissum fuisse a Patribus.) h. e. moechiam, homicidium, idololatriam, et his affinia agebatur. Quorum ultimum peccatum vocat Cyprianus peccatum in Deum, eiusque comparatione alia duo dicit minora Ep. XI. Poenitentia sollemnis in plures annos quoque proferebatur: quamvis in potestate esset Episcopi severitatem canonum temperare et tempus contrahere, quod non infrequenter fieri solebat. Eius *actus* (Tertullianus de Poenit. c. 9) seu *ministerium* (ibid. c. 12) dicebatur *exomologesis*, quae non solam confessionem, sed omnem prosternendi et humiliificandi hominis disciplinam continebat; attamen nunc pressius nunc latius hoc nomen accipiebatur, vel pro sola confessione, vel pro tota actione poenitentiae, vel pro professione ipsius poenitentiae. Disciplina huius poenitentiae sollemnis in quatuor illos gradus distributae non est ex traditione apostolica, sed ab Ecclesia instituta eaque primum comparet in canonibus Gregorii Thaumaturgi seculo III. Et quidem haec graduum distinctio et successiva progressio facienda a poenitentibus proprie videtur viguisse in Ecclesia orientali, in qua tertius gradus, qui est *substratorum* proprie dicebatur *poenitentium* (cf. can. 22. Basili qui est in 2. epist. canonica). Horum enim graduum distincta mentio occurrit in Canonibus poenitentialibus Gregorii Thaumaturgi, Dionysii Alexandrini (epist. ad Cononem cf. Pitra Ius eccles. Graecorum Tom. 1. p. 545 seq.), Basili, Nysseni, et in canonibus Synodi Ancyrae, ac in canonibus Synodi Nicaenae. At ad Ecclesiam occidentalem quod spectat, huiusmodi distinctos gradus poenitentiae non meminit Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, nec canones Synodi 1. Aralatensis, et Illiberitanae, et 1.

Conc. Toletani, sed solius publicae poenitentiae peragenda certo tempore, certoque etiam ritu, cuiusmodi erat exomologesis et manus impositio (cf. epist. Cypriani 9. et 11.) eaque multiplex iuxta canonem 80 Syn. 4. Carthaginensis: *omni tempore ieiunii manus poenitentibus a sacerdote imponatur*. Eandem refert poenitentiae rationem Sozomenus sua aetate usurpari in Ecclesia Romana H. E. L. VII. c. 16. Quaedam tamen Synodi in Galliis, ut Valentina an. 374. et Arelatensis 2^a celebrata intra an. 442 et 443. provocant quidem ad canones nicaenos, sed non constat an tantum poenitentiae tempus ab eo praescriptum, an praeterea formam quoque illius exigant specialis poenitentiae. Illum quidem specialem ritum sollemnis poenitentiae oportuit desinere desinentibus gradibus, quibus catechumeni praeparabantur, quibus gradibus respondebant gradus illi poenitentiae sollemnis, ita ut iam universo populo existente christiano reliqua quidem adhuc fuerit poenitentia publica ac simpliciter sollemnis, sed prout tot erat distincta gradibus, illa priore adhuc vigente, sensim sine sensu desierit. Imo in Ecclesia graeca sub finem sec. IV. omnis poenitentia sollemnis, seu publica, quae ex praescripto Ecclesiae susciperetur, desiisse pluribus saltem in locis videtur, ipsa adhuc perseverante in Ecclesia latina. Lege de his eruditum opus Francolini de Poenitentiae Disciplina.

Poenitentium nomine *κατ' ἐξοχήν* vocabantur illi, qui publicam et canonicam poenitentiam agebant. Conc. Toletanum l. c. 2. « Eum vero poenitentem dicimus, qui post baptismum aut pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari. » Augustinus (de Utilitate agendae Poenitentiae ser. 352. c. 3.) « Est poenitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia *poenitentes*, remoti etiam a Sacramentis Altaris participandis, ne accipiendo indigne iudicium sibi manducant et bibant. » Et in Serm. De Symbolo ad Catechumenos: « Hi, quos videtis agere poenitentiam, scelera commiserunt aut aliqua facta immania; inde agunt poenitentiam. »

Illud vero est advertendum quod scopus poenitentiae publicae sollemnis non erat tantum assecutio veniae peccati coram Deo, sed tum curatio male affecti animi, tum expiatio poenae debitae peccato, cuius plena remissio seu indulgentia dabatur in fine per absolutionem Episcopi. Huius tamen rei demonstrationem, ne heic longiores simus, reicimus in Appendicem de Indulgentiis. Cf. §. II.

Quoniam frequenter mentio quoque occurret *librorum poenitentialium*, quorum non exiguam syllogem suppeditat Morinus in fine sui operis et quibus plures alii addi possunt, e re erit advertere quod

omnes libri poenitentiales a privatis hominibus vel a particularibus Episcopis pro suis singulis Ecclesiis conscripti fuerunt, nullusque fuit inter eos qui auctoritatem in Ecclesia universa obtineret. Speciatim vero illud quod poenitentiale romanum appellatur, ab Halitgario Episc. cameracensi circa ann. 835. editum, qui se illud sumpsisse testatur de scrinio Romanae Ecclesiae, quod Morinus in app. solum antiquum et sincerum poenitentiale romanum vocat, nunquam fuit pontificum romanorum auctoritate aut Ecclesiae Romanae usu probatum. Id demonstrat anonymus scriptor sec. XVIII. cuius diatribam refert Angelus Mai in Tom. VI. novae collectionis Scriptorum veterum. Sane aiebat Carolus M. in Concilio Turonensi 3. ann. 813. can. 22. « Videbatur nobis, cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber poenitentialis potissimum sit sequendus ». In Conc. vero Cabillonensi eodem anno, can. 38. dicitur: « Modus poenitentiae peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem aut per ss. Scripturarum auctoritatem aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos poenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: mortificabant animas, quae non moriuntur, et vivificabant animas, quae non vivebant ». Ex quibus patet nullum fuisse ea aetate librum poenitentialem etiam romanum cuius esset in Ecclesia certa auctoritas. Porro liber poenitentialis editus ab Hilgaria paulo post, iam certe exstabat.

Poenitentiales porro libros eos presse intelligimus, qui in eo verfabantur ut singulis criminibus certas poenitentias assignarent. Theodorus episcopus cantuariensis (sec. VII) natione graecus edidit primus poenitentiale nova quadam forma (si tamen ipse scripsit, et non potius e Graecia homo graecus poenitentialem librum advexit in Angliam, et quia ad illum frequenter is provocabat, dictus est poenitentialis Theodori), in quo docebantur Sacerdotes quomodo officium suum exercerent, quomodo suscipiendi essent poenitentes, quid interrogare deberent, quae monita dare, quas poenitentias infligere: unde et instructiones de vitiis capitalibus, de gravitate singulorum peccatorum etc. Praeluserunt huiusmodi poenitentialem *Summis*, cuiusmodi ea est, quae debetur s. Raimundo a Pegnafort: quas Casuistae exceperunt, theologique morales.

Veniamus ergo ad demonstrationem Thesis.

II. Peccatum est offensa Dei, cuius reatu quis coram Deo obligatus manet donec a Deo remittatur, et propter quam reatum poenae incurrit infligendae a Deo, sive aeternae sive temporalis. Solet Ecclesia ad absterrendos homines a quibusdam potissimum peccatis ea

quoque auctoritate sua prohibere sub comminatione quarundam medicinalium poenarum, hasque peccantibus infligere; atque si peccata patrata publica sint, poenitentias aliquas publicas imponere. Huiusmodi poenas et poenitentias ab Ecclesia inflictas potest Ecclesia ipsa solvere et relaxare. Iam vero fuerunt qui putarent Ecclesiam antiquam, cum peccatores poenitentes absolveret, nihil aliud in eis egisse quam relaxationem poenae vel poenitentiae a canonibus Ecclesiae statuta, ita ut absolutio Ecclesiae non afficeret animam peccatoris, nec is a culpa, qua coram Deo obstringebatur, absolvi crederetur. Concedunt proinde ii exstitisse et exsistere in Ecclesia *forum externum*, quo publica auctoritate Ecclesia punit crimina contra ipsius Ecclesiae vetitum admissa, quae idcirco offensa quaedam sunt ipsius Ecclesiae, et prout huiusmodi sunt, ab ea dimittuntur; negant vero in Ecclesia exstitisse et exsistere *forum internum*, in quo ipsa culpa, qua erga Deum obstringitur peccator, et poena ei respondens a divina vindicta procedens, remittatur. Sententia catholica est esse in Ecclesia forum internum, seu esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata coram Deo. Id sane iam probavimus in praecedente thesi, quod et rursus in 1. p. huius thesi ex praxi Ecclesiae demonstramus.

Probandum est exercitam fuisse ab Ecclesia antiqua potestatem remittendi peccata coram Deo. Id porro constat primum ex demonstratis in praeced. thesi: certe enim Ecclesia eam potestatem exercuit, quam Christus ipsi concessit, et Patres in ea agnoverunt. Verum ut aliis argumentis quoque id conficiamus, haec afferimus.

1) Seculo III. se magis explicavit praxis poenitentiae publicae, canonicae, quae praecedenti quoque seculo in usu fuit, ut ex Tertulliano in lib. de pudicitia constat. Iam vero poenitentia huiusmodi petentibus ab Ecclesia imponebatur, et ab iis libere suscipiebatur, *ut Deo satisfacerent pro peccatis in ipsum commissis*, atque a Deo per ministerium Sacerdotum veniam obtinerent culpae primum, atque etiam poenae reliquae Deo debitae. Idcirco peccatum ut offensa Dei spectabatur, eademque remittebatur.

Testis huius rei est Cyprianus, qui in libro de lapsis eos reprehendens, qui citra peractam poenitentiam flagitabant communionem, haec habet: « ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, *ante offensam placatam indignantis Dei et minantis*, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant... Nemo se fallat, nemo se decipiat, solus Dominus misereri potest; veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit. » Unde epist. ad Fidum improbat factum cuiusdam Episcopi Therapii, qui cuidam Victori quondam presbytero

« antequam poenitentiam plenam egisset, et Domino Deo, in quem deliquerat, satisfacisset, immaturo tempore et praepropera festinatione pacem dederit. » Atqui si poenitentia eo spectabat ut offensa Dei placetur, ut peccatores Deo satisfacerent, et poenitentia haec requirebatur ut pax seu absolutio daretur eo quod solus Deus misereri potest, evidens est quod remissio peccati erat remissio peccati coram Deo, quam quidem auctoritate propria solus Deus, ut ait Cyprianus dare potest, quamque auctoritate ministeriali Sacerdotes Dei concedebant.

2) Leo M. epist. CVIII ad Theodorum ait: « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae repararetur aeternae; ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent (agitur ergo de poenitentia, qua peccata coram Deo expiantur), sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri (idcirco ad poenitentiam eorum qui deliquerant accedere debebant supplicationes Sacerdotum ut Dei indulgentia, h. e. remissio peccati coram Deo obtineretur). Mediator enim Dei et hominum homo Christus Iesus *hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem* ut et confitentibus actionem poenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent ». (De discrimine inter actionem poenitentiae et reconciliationem dicemus alio in loco.) Ex his vero patet Sacerdotibus factam esse potestatem remittendi peccata coram Deo.

3) Formulae absolutionis, vel, quae eam praecedebant, preces Sacerdotis, manifeste exhibent remissionem peccati coram Deo. Formulae quidem desumuntur ex antiquis libris poenitentialibus, qui quamvis vetustate sua priora secula non attingant, referunt tamen antiquissimam Ecclesiae praxim, ut probat Morinus in fine sui operis. In antiquo igitur poenitentiali Romano haec exstat precatio manus impositionis, « Domine sancte, Pater omnipotens aeternae Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuae pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, et peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis veniam, pro moerore laetitiam, pro morte vitam. » Similes repraesentantur in omnibus antiquis poenitentialibus. Remissio igitur, quam impetrabant preces illae, quas ex proprio munere Sacerdotes super poenitentes fundebant, erat remissio peccati coram Deo.

4) Sane ea venia concedebatur ab Ecclesia poenitentibus, cuius concedendae potestatem Tertullianus (De Pudicitia) et deinde Novatianus soli Deo adserebant, Ecclesia autem sibi quoque sub Deo vindicabat; atqui ea erat remissio culpa coram Deo: ergo.

5) Absolutio poenitentibus ea intentione dabatur ut solveretur in caelis, quod solutum esset in terris. « Nec enim (ait Cyprianus Ep. LVII) fas erat, aut permittebat paterna pietas et divina clementia Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de seculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando promisit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in caelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur. » Quotiescumque ergo communio et pax poenitentibus dabatur, quod frequentissimum erat, ita ii solvebantur in Ecclesia ut et in caelis solverentur; atqui solutio, quae fit in caelis, est solutio peccati coram Deo: ergo.

Cum vero Augustinus ait (Enchir. c. 65) poenitentiae tempora a praepositis Ecclesiae constitui *ut fiat satis etiam Ecclesiae*, sententia eius est, quod cum oporteat remissionem ab Ecclesia dari, oportet quoque ipsam nosse an peccatorem vere poenituerit, quod cum peccator exercitio praescriptae poenitentiae notum Ecclesiae faciat, eo ipso eidem facit satis.

Quocirca forum internum seu conscientiae, in quo causa cuiusque fidelis cum Deo ageretur, semper exstitit; quod proinde distinguendum est ab alio, quod externum fuerit, et in quo causa hominis cum Ecclesia ageretur.

III. Ad sequentes quaestiones quod spectat, haec duo sunt advertenda. 1. Quaestio non est de potestate Ecclesiae, sed de exercitio libero potestatis huius, an Ecclesia scilicet pro quibusdam criminibus aut criminosis censuerit negandum esse beneficium absolutionis; neque enim in testimoniis quoque, quae adversarii producant, ullo modo se prodit sententia haec veterum quod desit circa aliqua Ecclesiae potestas, sed solum videri possunt censuisse non expedire usum potestatis; idque tantum adversarii contendunt. 2. Cum disputamus de praxi et sensu veteris Ecclesiae, non proprie querimus quid hic aut ille Pater, quid haec aut illa particularis Synodus aut Ecclesia censuerit vel egerit, sed Ecclesiae universae sententiam et praxim inquirimus, vel Ecclesiae principalioris, h. e. Romanae; in singulares enim Ecclesias error obrepere potest: diximus proinde in Thesis enunciatione *praxim Ecclesiae universalis*. Praxis Ecclesiae universalis ea est, quae *historice* ab universa moraliter Ecclesia quadam aetate frequentatur, quae *iuridice* suscepta est auctoritate

universali, nempe Dei vel Ecclesiae h. e. Romanae Sedis seu Synodorum oecumenicarum. Negamus autem ex praxi aut opinione quorundam concludi legitime posse, nisi alia adiumenta adsint, ad praxim et sententiam totius Ecclesiae.

Affirmamus ergo quod nunquam universalis Ecclesia negavit veniam, dummodo poenitentia adesset, vel certis criminibus vel certis peccatoribus. De illis, de quibus controversia esse potest, breviter disseremus.

a) Probamus primo *nunquam Ecclesiam negasse veniam peccatoribus in exitu vitae, eo quod distulerant usque ad mortem poenitere*. Est contra Morinum L. X. c. 1. Constat id ex claris testimoniis omni exceptione maioribus. Caelestinus R. P. ita scribebat ad Episcopos Provinciae Viennensis et Narbonensis epist. IV. reprehensurus ea quae « admissa contra disciplinam ecclesiasticam dolebat ». (Gallandi, T. IX. c. 3.) « Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec eorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere, eiusque animam, sua crudelitate, ne absolvi possit, occidere? Cum Deus ad subveniendum sit paratissimus, et invitans ad poenitentiam sic promittat: peccator, inquiens, quocumque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei... Salutem ergo homini adimit quisquis mortis praeteriti tempore poenitentiam denegarit; et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit... Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est aestimanda quam tempore. » Poenitentiae morientibus negatae nomine heic non venit sola exterior quaedam ceremonia, qua modus poenitentiae canonicae alicui imponeretur et sic ipse inter poenitentes reciperetur. Nam haec sola, sine absolutione, quae pars praecipua erat totius ritus poenitentiae, quid profuisset morituro, cum praesertim peragi ab eo non posset? Qui morientibus poenitentiam denegabant, dicuntur a Caelestino desperare de Dei pietate, quasi non possit uno momento hominem ad se convertere gratia sua, aut sit aliquod tempus, quo Deus nolit ad se convertere peccatores: hanc falsam opinionem reprehendit Pontifex; docet autem e contrario veram ad Deum conversionem eorum, qui in ultimis constituti sunt, mente esse potius aestimandam quam tempore, h. e. quoniam Deus paratissimus est omnibus gratia subvenire, sperandum esse quod hi homines in his angustiis positi

vel uno momento vere convertantur. Ratio ergo cur Sacerdotes negarent poenitentiam, haec erat quia non censebant homines istos vere esse conversos, illudque eis negabant quod vere conversis, iuxta verba Domini penes Ezechielem, dandum est: atqui istud est ipsa remissio peccatorum: hanc ergo illi negabant, et propterea a Caelestino gravissime reprehenduntur. Quocirca Caelestinus vult eam poenitentiam dari, qua salus confertur, qua expeditur homo a pondere peccatorum, sine qua mors (animae aeterna scilicet) morti (corporis nempe) additur, sine qua anima morituri occiditur: haec porro est solum absolutio a peccatis coram Deo. Iam vero putabimus ne fuisse praxim communem Ecclesiae vel Caelestini aetate vel seculis praecedentibus eam, quam adeo vehementer tanquam alienam a Scripturarum doctrina tantus Pontifex reprehendit? an censebimus ignotum fuisse Romanae Sedi sensum communem communemque praxim Ecclesiae? an non potius dicemus quod etsi quaedam Ecclesiae particulares erraverint, Ecclesia tamen universa illud sentiebat et agebat quod Caelestinus docet? Confer quae mox afferemus ex Bulla Pii VI.

Idem statuit s. Leo Epistola CVIII ad Theodorum Episcopum Foro-Juliensem: in qua docet « quid de poenitentium statu ecclesiastica habeat regula » c. 1. Sic ait c. 4. His qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia *praesidium poenitentiae* (ergo et de iis, qui non erant in ordine poenitentium loquitur) *et mox reconciliationis* implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras conversio. Et clarius c. 5. de iis loquens, qui differunt de die in diem, ait: « etiam talium necessitati auxiliandum est ut et actio illis poenitentiae et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur ».

Idem tradiderat Dionysius Alex. epist. ad Cononem, (cf. J. B. Pitra Card. Iuris ecclesiast. graecorum etc. Tom. 1. pag. 546) n. 2. « qui vero sub exitum vitae adducti, si indigeant venia eamque precibus exposcant, concedi... sane eos dimitti liberos Dei digna suadet agendi ratio et humanitas », non distinguens inter eos qui prius susceperint poenitentiae disciplinam et qui secus.

Hanc quoque legem sanxit can. 13. nicaenus, « de his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servetur, ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Quod si desperatus aliquis accepta communionem supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus compleatur. Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et eucharistiam flagitante, episcopus cum probatione im-